SELECTARUM QUÆSTIONUM
PHILOSOPHICARUM

DECAS TERTIA,

Quam
D. T. U. A.
In celeberrima VVittebergensium Academia
Sub Præsidio

M. SIGISMUNDI EVENII,
Navena-Marchici Amplissimæ Facultatis Philosophicæ Adjuncti,

Liberalis Exercitij, & veritatis indagandæ gratiâ placidæ collationi subjicit

JOHANNES NICOLAI, URATISLAVIENSIS.

Ad diem VI. Augusti, horis & loco consueto.

WITTEBERGÆ
Ex Officina Typographica Andreæ Rüdingeri.
ANNO M. DC. XII.



VIRIS

Integritate, Authoritate, Humanitate Præstantissimis, Spectatissimis.

Dn. IOHANNI Nicklas.
Dn. NICOLAO Puschocken.
Dn. THOMÆ Grun.
Dn. GEORGIO Knecht.
Dn. MARTINO Berschdorff.
Dn. IOHANNI Klosen.

Civibus inclytæ Vratislaviensium Reipublicæ laudatissimis,

Dn. Parenti, Agnato, Affinibus suis maximè suspiciendis

Decadem hanc Philosophicam

Apertissimum grati animi monumentum,

Observantiæ non tralatitiæ documentum

Dicat, dedicat

Johannes Nicolai Author & Respondens.



PRonunciatum *illud* Nazianzeni in distichis: τιμάσθω τάξις; servetur ordo, *cuilibet operi manum adhibenti sonare cum debeat*: Τάξις δὲ ἀρίστη παντὸς ἀρχομένου, καὶ λόγου, καὶ πράγματος, ἐκ θεοῦ ἄρχεσθαι, καὶ εἰς θεὸν ἀναπαύεσθαι: ejusdem Nazianzeni Apolog. *1. vel ut pereleganti comprehendit disticho* Ioh. Posselius in Regul. vitæ Regul. 4.

Τάξις τοῦ φράζειν καὶ πράττειν ἐστὶν ἀρίστη,
ἐκ θεοῦ ἄρχεσθαι, ἔν τε θεῷ τελέσαι:

Ordo dicendi & agendi sit optimus, à DEO incipere, inq; DEO desinere: & ego, dum dispersum rationis humanæ campum in paucas sed firmas decretorum glebas conlegere aggredior, Zach. Victor dissert. Topic. 1. *ab ipsa Veritate, quæ est ipse DEus,* πρώτως *exordior, exorsus ab ipsa cum* B. Fulgentio ex lib. *1.* de prædest. ad Mon. pag. *8. devotè postulo, doceri multò plura quæ nescio, à qua accepi pauca, quæ scio. Ipsam rogo, ut, quæcunq; salubriter scienda nescio, doceat me: in his, quæ vera novi, custodiat me: in quibus veris titubo, confirmet me: in quibus ut homo fallor, corrigat me, & à falsis ac noxijs eripiat me, ut in cogitationibus ac sermonibus meis, quod salubriter donat, inveniat, & ea de ore meo procedere faciat, quæ sint coram ipsa principaliter grata, & sic fiant cunctis accepta.*

Oratione, nuncio illo fidelissimo præmisso & emisso, ad radicem sine ulteriore mora securim ponimus, id est, institutum nostrum recto pede adimus, & proponimus.

Problema I.

Quænam Logicæ vera divisio?

DIgladiantib. *adhuc inter sese* Philosophis de vera Logices divisione *prius, antequam nostram* Peripateticam *proferamus, ut &*

apud Ariſtotelem *in more poſitum eſt, placet aliorum* diviſiones *in aciem producere, productis, unamquamq; repetitâ perpenſione examinare ad Lydium lapidem, aut ad incudem, aut ad ignem, id eſt, ad reflexionem rationis, metallorum more, quorum probitas illis legibus tribus exploratur, docente* Scal. Exerc. 307. ſect. 5. *& tandem dubitationis ſolutionem, quæ veritatis eſt inventio* Ariſtoteles 7. Eth. cap. 4. *adiicere.*

Alij ergò, *at quàm convenienter, poſtea videbimus, dividunt* Logicam in Inventionem & Iudicium alii in Analyticam, Topicam & Sophiſticam : alii in definitionem, diviſionem & Argumentationē: alii in utentē & docentē: alii in naturalem & artificialem : alii aliter, *quarum plures quidem prolatas, paucas verò probatas reperies* in Keckermanni præcognit. tract. 3. c. 2. Regio lib. 1. diſq. Logic. quæſt. 5. Hippio in Problem. Logic. quæſt. 6.

Nos præſentes modò conſiderabimus: ubi prima ſtatim καλὸν σφάλμα, *vitioſiſſimū ſcilicet. omittit enim* 1. *materiam Operationis* Logicæ Categorias. *Conſideratio autem materiæ eſt pars propria* Logices : *nulla enim ars operatur in ignota materia. Negligit* 2. Structuram Syllogiſticam, *quæ neq; ad* Inventionem, *quod conceditur, neq; ad* Iudicium *referri poteſt: non ad* Iudicium, *quia* 1. *diverſæ ſunt operationes, conſtruere Syllogiſmum, & judicare de jàm conſtructo; niſi forſan illi* Iudicium & Structuram Syllogiſmi *promiſcuè pro uno & eodem ſumunt: verùm non quid* Iudicium, *ſed quo jure vocent, quæritur?* Exempli gratia, *res diverſiſſimas,* Leonem & Aſinum *eodem nomine appellare non licet.*

Ordo præpoſterus eſt, priori ſemper loco de Inventione, *poſteriori de* Iudicio *præcipere: quoniam communia ſpecialia debent præcedere* Zabar. de conſtit. ſcient. Natural. cap. 23. *& communis forma alicujus artis prius concipi debet, quàm ad hanc vel illam materiam accedatur, ut*

tur, ut Exemplo Iudicis *ad causas dijudicandas non accidentis, nisi prius mente concipiat facultatem & ideam judicandi: &* Sutoris *ad calceos conficiendos non se accingentis, nisi prius eorum suend. rum rationem edoctus, fusius illustrat* Casp. Bartholinus in suo Ianit. Log. 1. de Nat. Log. theorem. 9. thesi 5.

Excludit 3. nobilissimam demonstrationis doctrinam, *aut diversissimos tractatus turpiter confundit, Apodicticam & Topicam, in quibus cum res planè diversæ contineantur, utiq; nec unũ eundemq; tractandi modum admittent.*

Floccipendit 4. Sophisticos Elenchos, *minimè floccipendendos: Non enim satis, quid sequaris, nosse, nisi etiam, quæ fugienda, cognoscas. Quàm verum enim est, quasdam in natura res re vera tales esse; quasdam a. tantùm tales apparere, & φαινόμενα ἔνδοξα esse: tàm necessarium est* Logico, *cum contrarior. eadem sit ratio* 1. prior. 1. *& contraria juxta se posita magis elucescant* lib. 1. Top. c. 8. lib. 3. Rhet. c. 4. & lib. 1. Elench. c. ult. *non tantum in ἐνδόξοις quæ re vera ἔνδοξα sunt, exponere & confirmare, sed etiam, quæ & φαινόμενα ἔνδοξα sunt, persequi.*

Secunda *totam illam partem, quæ de* Syllogismo *generaliter tractat, aut omittit, aut non satis explicitè proponit, aut* generalia cum specialibus *commiscet & confundit.*

Tertia *etiam vitiosa est: 1. enim* nulla ars in sua effecta & opera est dividenda, *cùm αἰτία non sit αἰτιατόν. & retrò secundum* Aristotelem lib. 2. magnor. moral. c. 8. *perperam enim quis statuet partes Architectonicæ parietes, tectum, &c.* 2. Simplices terminos, propositiones, *& id genus similia omittit, & alto silentio præterit.*

Quarta *ideò reiicitur, quia* Logica docens & utens *una eademq; ars est, licet diverso respectu sit* docens & utens. Docens enim Logicus Rhetori *proportione respondet;* Utens Oratori.

Quinta *deniq; vera non est: Logica enim ars semper significat habitum: Nullus autem naturâ datur habitus. Ergò etiam eo modo dividi non potest. Minor constat. Nam* Logica naturalis, *quando pro ea accipitur, quæ est τῇ φύσει simpliciter, & non κατὰ φύσιν, in nuda potentia est, & δύναμις φυσικὴ in Categoria Qualitatis dicitur, quæ ab ἕξει, ut species opposita & disparata discernitur: illa enim nobis cum nascitur, hæc verò crebris exercitationibus acquiritur.*

Restat nunc, ut relictis & rejectis aliorum divisionibus nostram Peripateticam, *camq; veram* Logices *divisionem in scenam producamus, & obviis, quod dicitur, ulnis amplectamur. Dividimus proinde in partem* Communem & Propriam, *quarum illa communia formæ Syllogismi inservientia explicat, & libris* Categoriarum, *περὶ ἑρμηνείας, &* prioris Analyseως *absolvitur;* hæc *Syllogismi materiæ inservit, & in posterioribus* Analyticis, Topicis ac Sophisticis *traditur.*

Cujus Divisionis *fundamenta hæc damus: Quæ* divisio *& habitui, & præceptis ad habitum illum directis est conveniens, illa est bona: Atqui hæc* divisio *est talis. Ergò &c. Minor probatur. Syllogismus enim finis ille internus Logices eodem modo in disciplinis activis se habet, quo subjectum in scientiis. Vt itaq; scientiarum præcepta secundum ipsius subjecti naturam dividuntur; ita & Logica, ut disciplina activa & instrumentalis secundum finis sui interni naturam, nempè Syllogismi, dividitur. Syllogismus autem duplici venit consideratione: nempè generali, prout in sua forma & habitu consideratur; & speciali, prout certis & distinctis materiis applicatur: hoc enim modo generalis illa consideratio limitatur & coarctatur: quandoquidem alteri mensurato alia debetur mensura, & quodcunq; instrumentum non tantum ratione causæ principaliter agentis, humanæ videlicet mentis, sed & ratione materiæ, quam tractat., considerandum est, cæteroquin Syllogismus in parte communi generaliter consideratus verum à falso discernere non potest.*

Deinde *& ipsius subjecti natura* divisionem hanc *suppeditat. Nam scientiæ perinde ut res secari solent, de quibus agunt, vel circa quas sunt occupatæ. Versatur autem* Logica *circa omnes res, quæ vel necessariæ, vel contingentes, vel apparentes. Iam si præcepta* Logicæ *cum rebus illis compares, apparebit evidenter, alia rebus illis in universum esse communia, alia cujusq; propria.*

Atq; ex hoc fonte nostra hæc partitio promanat: Quam & accuratissimi & oculatissimi Philosophi *proposuerunt, inter quos primus* Averroes in Procem. in post Analyt. lib. 2. Metaph. c. 3. comm. 15. pag. 56. & lib. 1. Moral. Nicomach. c. 3. pag. 182. *eandemq; nostro tempore repetierunt & retinuerunt* Zabar. lib. 2. de Nat. Log. c. 1. Flacius lib. 1. c. 8. & 9. Gregor. Horstius in Prodr. Instit. Log. c. 5. & disp. Log. 2. Iac. Martini in decade disp. Log. Publ. disp. 1. in Procem. Instit. Log. c. 3. Iac. VVerenberg. disp. Log. 2. *& moderni quiq; Peripatetici.*

Problema II.

Prædicabilia an pars sint Logices?

CVm nullum gravius vulnus artibus infligi possit, quam si ea intruduntur, quæ ab iis aliena & heterogenea: Ideò meritò & cum cura quidem, si non ingenti cum confusione, quod Physicum est, in Ethicam, quod Ethicum vel Methaphysicum in Logicam transferri, atq; ita Cælum terræ immisceri voluerimus, heic dispiciendum: Ακκατηγορήματα seu prædicabilia pertineant ad Logicam, & ita essentialis pars sint Logicæ?

Nos veritatem dicentes, Categorematum doctrinam, seu Isagogen Porphyrianam *Aristoteleæ Logicæ partem non esse, sed* Commentarium *duntaxat &* Introductionem quandam, *ultrò*

largi-

largimur ex ipſa inſcriptione. Dicitur enim εἰσαγωγὴ ab εἰς in & ἄγω duco: Iam Introductio *in artem non eſt pars iſtius, in quam eſt* introductio. *Subſumo: Tractatus hic* Porphyrii eſt introductio ad Logicam. *Ergo pars ejus eſſe nequit.*

Hinc utilem quidem, non verò neceſſarium dicimus. Definitionibus *enim inſtituendis hanc doctrinam plurimùm inſervire, vel ex eo liquet, quod omne definiendum ſit Species: quæ ſi eſſentialiter definietur, per* Genus *&* Differentiam *definienda: ſi v. deſcribetur, per* Genus & Proprium, vel communia Accidentia *definienda. Ecce! vel in* Definitionibus *ſolus omnium Prædicabilium uſus elucet.* Diviſionibus *etiam faciendis quantum conducat hæc doctrina, quid* demonſtrationi *inſerviat, imò quantum lucis adferat toti* Logicæ *brevitate gratâ taceo, &* benevolum Lectorem ad Authores Logicos, *plenius & planius iſthæc omnia explicantes, remitto, inprimis verò ad* Porph. in Iſag. c. *1.* Ariſt. *1.* Top. c. 7. & lib. 6. cor. c. 1. lib. *7.* cor. c. 2. & lib. *8.* Metaph. cap. *3.* & Caſp. Bartholin. in Ianit. Log. 2. de *5.* univerſal. theor. 1. theſ. 3 & 4. *& alios.*

Quod ſi Prædicabilia non pro Iſagoge Porphyriana, *ſed pro inſtrumentis notificandi ſimplicibus ſumantur, omninò Logicæ eſſentialia eſſe ſtatuimus, quamvis fixam & certam ſedem non obtineant, & ita partem propriè diſtinctam (ſecundum* Ariſtotelem *præſertim) conſtituant.*

Problema III.

An à Privatione ad habitum detur regreſſus?

E*FFatum hoc* Ariſtotelicum in lib. Categor. c. 10 Philoſophorum *ferè omnium vox eſt:* ἀπὸ μὲν τῆς ἕξεως ἐπὶ τὴν στέρησιν γίνεται μεταβολή; ἀπὸ δὲ τῆς στερήσεως ἐπὶ τὴν ἕξιν ἀδύνατον: *quod* ab habitu ad privationem

vationem *quidem via detur, non verò contra à* privatione ad habitum; *cuius etiam ratio non adeò videtur obscura*: Privationis *enim natura est tollere formam, quam sublatam recuperari posse, vix est verisimile.*

Tamen utut sit, hoc ἀξίωμα non ita ἁπλῶς & absolutè, sed κατά τι, & cum restrictione quadam acceptandum esse, docent Metaphysici *quando* distinguunt, *inter* στέρησιν *quæ solum actum tollit, & inter eam, quæ etiam potentiam aufert. Si ergo loquaris de* στερήσει *ubi actus tantum est sublatus,* δύναμις *verò residua, datur regressio à* στερήσει *ad* ἕξιν, *ut à tenebris nocturnis ad lucem, à somno ad vigiliam, à frigore ad calorem, ab oblivione ad memoriam, ab ignorantia ad intellectum, à morbo ad sanitatem, &c. Sin verò de* privatione, *ubi ipsa quoquè* δύναμις *est sublata, seu ut alij dicunt, ubi* privatio *totalis est, ibi ordinario modo, qui est ex causis naturalibus, regressus ad* ἕξιν *non datur, ut à morte ad vitam. Quò & illud* ICti *pertinet: Actio semel extincta non reviviscit amplius* l. si unus. §. sed si pactum. ff. de pactis.

Excipimus tamen regressum extraordinarium & ὑπερφυσικόν, *quem dari piè credimus & asserimus: quo modo* Christus *visum cæcis miraculosè reddidit: mortuos suscitavit: & omnem morbum sanavit, ut testatur* historia Evangelica: *quin & nostra olim corpora, in cinerem licet redacta, divinâ sua potentia in extremo die à mortuis est resuscitaturus, & coronam illam, in altera vita repositam, omnibus fidelibus* ἀμίαντον καὶ ἀμάραντον *impositurus.*

Problema IV.

An Naturæ Definitio Animæ & Arti competat?

BImembris *est hæc Quæstio: Quæritur enim* 1. An Naturæ Definitio Animæ competat? & 2. num etiam arti possit accōmodari.

Pro cuius quæsiti prioris parte negante *maximè pugnat, aliás minimè simplex* Simplicius *cum suis assectis, & his potissimum rationibus* 1. *Quia* Natura & Anima *diversas habent definitiones. Quorum autem definitiones diversæ sunt, illa inter se quoq; diversa sunt.* 2. *Quia secundum* Aristot. 2. Phys. cont. 4. Natura *est in subjecto.* Anima *autem non est in subjecto, cum sit substantia incorruptibilis, æterna, & immunis ab omni nexu materiæ. Ergo* Natura *dici non potest.* 3. *Quia* Natura *est determinata ad unum: vel enim movet sursum, vel deorsum.* Anima *autem habet multos & varios motus secundum omnes positionum differentias. Ergo non est restricta ad unum* Perer. lib. 7. c. 11. *Hæc sunt fundamenta illa & obiecta* Simplicij.

Ad quorum primum *Respondetur, negando Definitionem* Animæ *Specie vel Genere diversam esse à Definitione* Naturæ: *sed ut* Natura *Genus est complectens* Animam: *ita generalis* Naturæ *Definitio Specialem* Animæ *Definitionem complectitur. Ad* secundum *dicimus, quod licet* Natura *in Subiecto propriè ita dicto non sit, in corpore tamen naturali est, tanquam forma in suo formato, eodem planè modo, qui de* Anima *etiam dicitur. Ad* tertium, *quod licet* Anima, *quatenus Genus est, non unius tantum & simplicis motus, sed multorum & variorum motuum causa sit: tamen quatenus species proprios etiam motus habeat.* Animæ, verbi gratia, *in Genere proprium est nutrire,* Animæ *verò sentientis, sentire, ubi tamen neq; nutritio est sensus, neq; sensus est nutritio, licet* Animæ *species sit* Anima *sentiens. Sic etiam licet* Natura & Anima *diversos habeant motus, disparatas tamen Species non constituunt.*

Pro Affirmativa *hasce ponimus Anchoras, quarũ prima effectus omnis* Animæ. *Omnis forma dans esse & operari, verè est Physicâ* Naturæ *definitione cõprehensa.* Anima *omnis est talis,* 2. *natura formæ Physicæ. Omnis forma informãs est Physica, &* Natura *quædã activa. Omnis*

Anima *est formæ.* 3. *authoritas* Philosophi, *qui* l. 8. Phys. t. 27. *animalia in sese principiū sui motus habere affirmat. Motus a ille fit à* Natura *nec ab alio principio, quā ab* Anima. 4. *Idem nutritionē, accretionem, & cæteras vitales functiones connumerat inter motus* naturales *haud dubiè, quia oriuntur à* Natura: *Oriuntur verò ab* An. l. 2. c. 1. t. 1. Connimbr. in locum. Arist. citat. quæst. 4. art. 1. 5. *Idem* Philosophus *lib. 2. Phys. t. 13. dicit, quod homo generet sibi simile per formam, quam postea* Naturam *vocat. Sed forma hominis non est nisi* Anima. 6. *quia corpus animatum est species corporis naturalis. Ergo &* Anima *erit Species* Naturæ, *adeoq;* Natura *de* Anima *ritè prædicabitur univocè.* Hippiur probl. 15. 7. *Cui competit Definitio, eidem competit & definitum. Atqui* Animæ *exactè competit definitio* Naturæ: *Negari enim non potest,* Animam *esse principium motus & quietis in eo, in quo inest, primò, per se, & non secundum Accidens* Zabar. lib. de Natura c. 4. Gulielm. Vrsin. disp. 2. quæst. illustr. quæst. 3. pag. 24.

Posterius ζητȣμένȣ membrum affirmantes *adducere solent Exempla quædam, quæ arti naturalem quandam vim, operumq; naturalium productionem haud obscurè adsignant. Qualia sunt.* 1. *flamma ex Speculo ustorio producta, quæ à* Natura *produci nequit, qua* Archimedes *quondam castra hostium incendit.* 2. *machinarum lignearum volatus, de quo* Scal. Exerc. 326. *in hæc verba loquitur: Volantis columbæ machinulam, cujus authorem* Architam *tradunt, vel facilimè profiteri audeo; naviculam sponte mobilem, ac sui remigij authorem faciam, nullo negotio, ut & volantem aviculam.* 3. *novæ plantæ per surculum in oculatione trunco insertum productio.* 4. *aquæ contra* naturam *ex imis terræ venis in altißimùm tectum elevatio, quæ* Archimedi *etiam adscribitur.*

Ex quibus omnibus talis formatur discursus: Qui potest majus, potest etiam minus. Ars sæpe maiora & præstantiora opera edit quàm natura. Ergo etiam minora potest. Minoris veritas constat ex Exemplis antea allatis.

 Sed

Sed ut Alexander Magnus *uno ictu nodum Gordeum gladio dissecabat: Sic ad Exempla illa allata facilimè, adhibitâ leni distinctionum aura, Respondere valemus. Nam* distingue *1. inter id; quod vi propria aliquid producit, & quod vi communicata, illud est* naturæ, *hoc verò* artis, *& ita flammam in fumos & favillas rediget: producitur enim illi non mera arte, sed conjunctâ cum causis naturalibus, radiis scilicet Solaribus, quæ multiplicata in ejusmodi speculis per refractionem ignem producunt.*

In 2. distingue *inter rem ipsã, & rei modificationem. Res ipsa arte non producitur, sed modus tantum productionis, artis beneficio, variatur, cui vis operandi, quæ subest, non artificialis, sed naturalis est, & ita columbæ ac naviculæ spontè se moventes, ex naturali materia sunt compositæ, quam ars ad eiusmodi motum temperavit, argento vivo, & alijs quibusdam machinis, motui huic destinatis.*

Idem in 3. de plantæ productione est sentiendum. Temperatur enim vis tùm trunci, tùm surculi, & in unam quasi naturam tertiam duo illa congrediuntur, unde demum species nova existit. In 4. demum inter naturam *universalem & particularem. Aquæ enim ille motus est quidem* contra naturam *particularem, non verò universalem, quæ in metu vacui unum Elementum cogit alteri succedere, uti suo loco, in doctrina Elementorum, fusius dicitur & docetur.*

Concludimus proinde cum Negativa huius quæstionis, quæ ex ipsa Naturæ *Definitione satis est conspicua. Quia enim* Natura *Principium est motus eius, in quo est,* ars *verò eius, in quo non est, ut ait* Scal. Exerc. 20. *manifestum est,* Naturæ *definitionem* Arti *accommodari non posse.*

Problema V.

An semen à toto derivetur Corpore?

T*Antus hîc aperitur campus, qui nec aliquot mensibus perambulari posset: lubet itaq; in illo aliquantulum exspatiari.*

Hippocra-

Hippocratis *de hoc quæsito opinio fuit semen* ἀπὸ παντὸς τοῦ ὑγροῦ, τοῦ ἐν σώματι ἐόντος *ab omni humido, quod in corpore continetur esse deciduum* lib. 4. de Morbis & lib de Genitura, *idq́; probavit* rationibus quatuor: *quarum* prima est vehementia voluptatis, *quod in coitu totum corpus oblectetur & voluptate gestiens, quasi convellatur. Vnde coitum* Democritus *parvam appellitat* ἐπιληψίαν. Secunda est morborum & vitiorum à parēte in sobolem propagatio, *quæ id ipsum cōprobare visa est, quod ex claudis parentibus claudi, ex mutilis mutili generentur, unde morbi hæreditarij.* Tertia, similitudo, quæ est inter parētem & sobolem, *ut toto corpore toti similes gignuntur omni ex parte, sic particulatim singulis partibus.* Quarta & postrema convenientissima iudicata, *ut quemadmodum totum à toto generetur: sic pars quoq́; qualibet semen habeat parti producendæ accommodatum. Cui opinioni fidem etiam facit verisimilem commemorabilis illa puelli cuiusdam in* Chalcedone *historia, qui idem* στίγμα *Patris brachio inustum in eodem brachio retulit.*

Verùm has rationes, quibus Hippocrates *usus est,* Aristoteles lib. 1. de gener. anim. c. 18. *quid ponderis habeant, examinat, & multis, iisq́; validissimis rationum momentis convellit. In* 1. *argumento docet fallaciam caussæ committi. Causa, inquit, voluptatis & titillationis in re Venerea vehementioris est, non quod ex toto secesserit, sed quia prurigo vehemens accidit: quamobrem si quis frequenter eâ re utatur, minus afficitur voluptate. Voluptas item Veneris in fine coitus potissimum est: at si ex toto secerneretur, non* ἅμα καὶ ἀθρόως, *sed sensim singulis partibus, alijs prius, alijs post exultaret. Idem vitium in* 2. & 3. *argumento deprehendit, & multis adductis instantijs ostendit, non morborum propagationem, non externam similitudinem inter parentem & sobolem inde evenire, quia ex omnibus corporis partibus semen secernitur, sed alias huius rei causas esse.*

Præcipua autem instantia ista est: Omnis causa per se etiam est causa perpetua, in omnibus similibus effectis locum habens. Iam verò

 illa

illa propagatio seminis ab omnibus corporis partibus non est causa perpetua. E. *Minorem huius argumenti probat hisce Exemplis. Datur similitudo inter parentem & sobolem quoad vocem, ungues & pilos, cujus causa in semine esse nequit, quia non generantur ex semine ; datur item similitudo inter nepotem & avum, cuius causa semen non est ; datur tandem similitudo inter stirpes, & tamen semen ab omnibus earum partibus non est deciduũ. Reliqua petantur ex ipso* Aristotele, loco supr. cit. *Contra quartum argumentum multis contrariis argumentis pugnat* Fernelius lib. 7. Physiolog. c. 2. *quæ videantur ibidem.*

Audivimus hactenus Hippocratis *hac de Controversia sententiam, superest ut nostram patefaciamus. De qua ita statuimus : quod* primò *in semine sint* Spiritus, *qui ab omnibus corporis humani membris, maximè tamen principalibus confluant, & colligantur in testibus & reliquis membris genitalibus inq; illis perfectionem ultimam acquirant : nec tantùm in viris sed etiam in mulieribus generentur. Deprehendimus enim* resectis venis illis, quæ iuxta aures sunt, ex fæcundis fieri steriles *& infœcundos ; quod non eveniret, si nulla seminis portio à capite derivaretur : neq; capitis dolor frequentiorem Veneris usum sequeretur, neq; membra libidine nimia exsiccarentur neq; oculorum acies obtusior redderetur, si non virtus quædam & materia in seminis generatione illis subtraheretur.* Deinde *quòd crassiores sint portiones seminis, quæ etiam suo modo ab omnibus corporis partibus demitti dicantur, non quod particulæ illarum resolutæ pars seminis fiant, sed* quod portio sanguinis omnibus membris subtracta materiam semini præbeat.

Problema VI.

An semen sit Animatum?

V*Ariæ de hac quæstione inter* Medicos & Philosophos *sunt sententiæ. Hos more Philosophantium in utramq; partẽ disputabimus, inq; eam lancem, quam ratio putat, aurum injiciemus, hoc est, non ancipitem,*

cipitem, non perplexam relinquemus nostram sententiã, sed eam prævalere potius patiemur, quæ maximũ pondus rationis habe Casus l.3. Phær. Civ. c.5.

Affirmativam *ergò tenere videntur* Plato in Timæo, Galenus lib. de marasmo c.5. Grammaticus de gener. anim. lib.2. c. 1. Themist. de an. c.21. Zimara 2. de An. t.43. Vallesf. lib. 2. Controv. c. 9. *& sequentibus eam probant rationibus: 1. Quodcunque producitur generando à vivo, illud vivit. Simile enim generat simile. Atqui semen producitur generando à vivo. Ergo & semen vivit. 2. Quodcunque habet viventis facultatem, illud vivum esse necessum est. Atqui semen habet facultatẽ vivẽtis; habet n. δύναμιν πλαστικὴν. Ego vivit.*

Ad opposita argumenta; & ad primi *quidem Minorem Respondemus cum* Iac. Martini Exerc. Nobil. περὶ τῆς ψυχῆς 6. theorẽ. *3. quod generans in generatione univoca nõ producit semẽ ut genitũ univocum: Sed ex semine tanquam à materia gignat sibi simile. Semen enim non est terminus generationis, sed fœtus qui oritur ex semine. Simile igitur generat simile, adeoque vivum producit vivum, quando de perfecta generatione & absoluta; itemque simile productũ de ultimo generationis termino intelligitur: ut in generatione hominis ultimus generationis terminus non est semen, sed infans. Non igitur semẽ sed infãs vivit & homo est, adeoque similis existit causæ effectrici & procreatrici.*

Ad secundum *dicimus quod δύναμις illa πλαστικὴ in semine latens non sit propriè facultas animæ completa, quæ ipsam animam tanquam principium suum conservans semper præsupponat; sed sufficiat, si δύναμις illa ab anima in semine sit excitata & producta.*

Contrariam negantem *sententiam, eamque veriorem defendunt* Arist. lib.2. de Anim. t.10. & lib. 2. de gener. anim. c.1. *ubi semen non actu, sed potentia tantũ animatum sive vivens est expressè dicit.* Conciliator diff. 48. Conimbr. l.2. de Gen. & Corrupt. c. 4. quæst. *26. & confirmant huncin modum.* 1. *Nullum excrementum vivit. Semen est excrementũ, at utile, ut ex Definitione τοῦ σπέρματος, & locis* Arist. l.1. de gen. an. c.18. l.2. de gen. an. c. 4. & ib. l.4. c.5. *manifestũ est. Ergò semẽ nõ vivit*

Minor

Minor probatur ulterius eleganti inductione: Quicquid in corpore continetur, aut pars corporis est, aut alimentum, aut colliquamentum, aut excrementum. Semen pars corporis non est, quia ex eo permanente nihil constituitur Laurēt. lib. *8*. quæst. 3. *adde quod si pars esset, quoties effunditur semen, toties mutilum redderetur animal. Non alimentum, neq; enim excerneretur. Multò minus est colliquatio: nam colliquatio res est præter naturam; Semen quiddam naturale. Erit Ergo excrementum.*

Quod ipsum etiam tribus probat rationibus Curs. Phil. Franc. lib. *2*. de an. quæst. 12. *I. Nulla pars est potentiâ totum. Semen verò est potentia totum, ut habet* Albertus Magnus l. 2. de anim. tract. *2*. c. *7*. *2. Pars non separatur à toto sine dolore. Semen separatur cum delectatione. 3. Nulla pars discinditur à toto. Semen sequestratur à toto corpore. II. Omne vivens nutritur* Arist. lib. 2. de Anim. c. 4. t. *34*. *Semen non nutritur, quod in plantarum seminibus domi reservatis ad sensum & oculos patet. Ergo semen non vivit.*

Problema VII.

Virtus an insit à Natura?

AFfirmativa *Platonis est in Menone & Socratis, *qui virtutes nobis congenitas & connatas esse dicebant: verùm ex immersione animæ in corpus offuscari, sicq; obliterari, ut aßiduâ operandi consuetudine eas detergi, & nativum decorem recuperare necessum sit. At dixére! rationem apposuére nullam! hominum opinione constat. Opinio autem non efficit.* Scal. Exerc. *18* *& in nuda narratione subtilitas nulla* Scal. Exerc. 52. *nec mirum est ex falsa hypothesi falsa deduci* Scal. Exerc. 274. *Cum ex illis falsa etiam facilimè consequantur, & tanquam ex equo Duratéo prodeant, aut Pandora Hesiodea prorumpant.*

Nostra, Veritatis æquilibrium tenens cum Philosopho, *Negativa*

tiva est, his freta rationibus. 1. Quicquid per naturam nobis inest, illud nullâ assuefactione mutari potest. Axioma hoc est Aristotelis lib. 2. Eth. Nic. c. 1. οὐδὲν τῶν φύσει ὄντων ἄλλως ἐθίζεται. *Cujus veritatem* Exemplo Lapidis & Ignis *declarat: Exemplo enim constituto etiam planior fiet per descriptionem difficultas* Scal. Exerc. 52. Lapis *enim qui naturâ vi gravitatis suæ deorsum fertur, nullâ ratione assuefieri potest, ut naturalem illam inclinationem dediscat, & ultrò sine externa vi impellente sursum moveatur, si vel millies iterumq; millies sursum projiciatur.* Sic ignis *in cavernis terræ conclusus propter naturalem suam levitatem, quacunq; rimulâ oblatâ ad superiora loca prorumpit, nec unquam, ut inferiorem locum petat, institui potest.*

Vnde rectè & verè olim Horatius cecinit lib. *3.* Epist. *10.*

Naturam expellas furcâ, tamen usque recurrit,
Et mala perrumpit furtim fastidia victrix.

Et Iuvenalis Satyra 13.

——————tamen ad mores Natura recurrit
Damnatos fixa, & mutari nescia.

Atqui Virtus moralis assuefactione mutari potest: Videmus enim in ijs, qui virtutis habent habitum, si vitiosis actionibus indulgeant, illo amisso, vitiosum contrahere habitum, & vice versa, qui vitijs sunt imbuti, assiduè benè agendo ijsdem valedicere & virtuti studere posse.

2. Quæcunq; naturâ insunt, eorum potentiæ ipsis artibus & operationibus sunt priores, ut potentia videndi & audiendi prior est ipsâ visione & auditione actuali. At in Virtutibus moralibus contrarium est verum: actiones enim virtutis habitum eiusdem præcedunt, cum habitus virtutis per crebras actiones nobis ingeneretur, non secus ac crebrò iteratis actionibus pulsandi Cytharam solemus fieri Cytharædi.

3. Quæcunq; naturâ insunt, de ijsdem haut leges sunt ferendæ, cum nec in melius, nec in deterius mutari possint, sed eodem semper se modo habeant. Atqui de virtutibus ut & de vitijs plurimæ feruntur LL.

Ergo &c. Sed quò progredimur? manu ſerendum non toto ſacco: vel unica ratio huic ſententiæ ſatisfacere potuiſſet.

Ploblema VIII.

Quænam vera Virtutis Forma?

NEq; hîc exuſtus litium fomes. *Diverſa enim in capita circa genuinam & accuratam Virtutis formam ſcinduntur* Philoſophi, *quod fieri in re tàm perplexa neceſſum eſt, ubi difficultas affert ſecum excuſationem* Scal. Exerc. 307. ſect. 21. *Sed quid? abſterrebit nos rei difficultas, quò minus hîc quoq; inſanire audeamus?* Scal. Exerc. 52. *Minimè gentium: inquirenda nobis eſt τῦ προβλήματος diſcuſſa enodataq; perdifficilis ratio.*

——————tentando ad Troiam venêre Pelasgi:

Sic nos ad Veritatis, abſtruſæ licet, portum perveniemus: & ſi non usq; adeò feliciter procedit navigatio primâ, utendum eſt ſecundâ; &

Cui non dantur flores, ille accipit herbas;

& Proci Penelope qui potiri non poterant, illi ſe cum pediſſequis & ancillis quadratis & ruſticis interim ſuaviter oblectabant. Sic nos etſi formis potiri non poterimus, arripiamus licet effecta & accidentia, ſat eſt.

Quadruplex autem potiſſimum hac de quæſtione circumfertur opinio: Ecqua prior? Prima *privationem extremorū. 2. Congruentiam cum recta ratione. 3. ὀρθότητα vel rectitudinem.* 4. *deniq; mediocritatem, eamq; vero ſimiliorem Virtutis formam indigitat: Cui & nos prioribus miſſis jure merito ſubſcribimus.*

Nam 1. *quod Virtutis forma non ſit privatio extremorum, nempè exſuperantiæ & defectus, probari facilè poteſt* 1. *quia Entis poſitivi formam quoq; oportet eſſe poſitivam, quî aliàs forma & formatum convenirent? quî poſſet privatio poſitivum εἶναι largiri, cum ipſa in ſe poſitivi nihil habeat? quo n. aliquid caret, illud alteri cōmunicare nequit.* 2. *Privatio & habitus ſunt ſpecies oppoſitæ & contradiſtinctæ. Nullum autē oppoſitum ſui oppoſiti forma eſt. Tollunt n. ſe oppoſita, non ponunt, multò minus conſtituunt. Cum ergò virtus ſit habitus, utiq; privatio, quæ habitus*

bitui opponitur, Virtutis forma nequaquam erit. 3. *Privatio refertur inter non Entia, quia caret essentiâ positivâ; habet rationem mali, quia re tantum bonâ propriè privari dicimur, & naturam non perficit, sed destruit vel interficit. At omnia contrario se habent modo in Virtute. Ens est; bonum est; naturæ perfectio est, non destructio. Quare hinc concludo, Virtutis formam non esse privationem.*

Sequitur sententia 2. *quâ congruentia cum ratione recta virtutis forma statuitur. Verùm esse non posse, hanc damus rationem. Congruentia formaliter sumpta nihil est aliud, quam relatio: notat n. commensurationem vel σχέσιν, quæ est inter normam & normatum, mensuram & mensuratum. Nulla autē relatio potest esse forma Entis absoluti, quale Virtus est, quia sic Prædicamentis differrent constituens & constitutum. Concludo igitur ipsam congruentiam formaliter sumptam Virtutis formam vel differentiam accuratam non esse.*

Tertiam *quod spectat* opinionem, *quæ ὀρθότητα & ἐννομίαν vel rectitudinē legi naturæ consentaneam Virtutis formam nuncupat, eam aliquo modo tolerari posse arbitramur.* Μεσότητα *enim* Philosophus *ipse quia* in definitione Virtutis, *ut &* l. 6. Eth. c. 1. & 5. *rectitudini æquiparat, dum eam, ὡς ὁ ὀρθὸς λόγος λέγει καὶ ὁρίζει, instituendā esse monet, quantū à rectitudine absit, vix apparet, ut ita pugna nō λόγου sed λόγων potius esse videatur. Subductis nunc & remotis opinionibus cæteris manet* Quarta & *ultima Virtutis forma,* Mediocritas, *quam cum omnibus penè in Peripato deambulantibus ut inconcussum Phœbeæ veritatis oraculum osculamur & acceptamus.*

Doctor *n.* & Choragus noster, *cuius vestigijs κατὰ πόδα insistimus, Formam Virtutis μεσότητα, seu* Mediocritatem *statuit. Ita n. definit* lib. 2. Eth. c. 7. & lib. 1 Magnor. Moral. c. 4. ἀρετή ἐστιν ἕξις προαιρετικὴ ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς ὡρισμένῃ λόγῳ, καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειε. *Virtus est habitus electivus in* Mediocritate *consistens quoad nos relata & definita, sicut vir prudens eam definiret. Vnde assertionem nostram probatam damus.* 1. *Cuicunq; omnia veræ formæ officia competunt, illud vera forma sit necesse est: res enim ex officio dignoscitur, & quicquid id non agit, quod debet vel potest agere, otiosum est & frustra* Scal. Exerc. 6. sect. 9.

At hæc omnia, qualia sunt largiri rei essentiam, rē ab aliis distinguere, operari, &c. quemadmodum pulcerrimè partitur Dn. Præses, Fautor meus singularis, in doctrina de Morib. disp. 3. theorem. 5. *Mediocritati quadrant. Erit ergo vera virtutis forma. 2. Quæcunq; excessu & defectu corrumpuntur, illa Mediocritate conservantur & generantur. Atqui Virtutes excessu & defectu corrumpuntur. Ergo Mediocritate conservantur, & per Consequens essentia Virtutis in Mediocritate consistit. Plura qui desiderat, consulat* Aegid. Strauchium in Illust. Quæst. Ethic. Cent. Prior. Decad. 5. quæst. 4.

Problema IIX.

Potentia an actu prior?

QVod in distinguendo segnities omnis abesse debeat, propterea quia distinctio congrua & legitima adiumentum afferat ad perspicuitatem significationis illius, quod multiplicis est acceptionis, ac qua prætermissa & posthabita confusioni latissimus aperiatur campus, rectè monet Philosophus l. 2. Elēch Soph. c. 2. & l. 6. Top. c. 2. *Quocirca, ne in ambiguo & circa hanc quæstionem laborare videamur, operæ alicuius esse videtur, paucis varias* Prioris *acceptiones aperire. Vel n. unū prius est altero ratione sive definitione, vel perfectione sive substantia, vel bonitate & malitia, intelligentia & tempore* Arist. 9. Meta. c. 8.

Rationes pro Actu *adferemus certissimas, evidentissimas.* Primùm *igitur quod* Actus *potentiâ* Definitione *sit* prior, *probatione prolixiore vix indiget, cum potentia definiatur per* Actum. *Iam verò illud est certissimum: Per quod aliquid definitur, eo esse prius. Sicut animal est prius homine definitione, & Subiectum Accidente &c. Ergo* Actus *erit prior potentiâ secundum definitionem. Sed* objiciat *hic fortasse aliquis, contra* Aristotelis *hoc argumentum, eadem ratione effici posse, potentiam priorem esse actu: cum actus per potentiam similiter definiatur, idq; ex eo, quod actus & potentia sint Relata. Is, ut eadem, quæ ante, inculcem, memor sit illius* Arist. l. d. & Keckermanni l. 1. contemplat. c. 2. ἐκ ὀκνητέον τὸ διαιρεῖν, *& repetat, quomodo Actus & Potentia sumātur ut*

relata. Nam & aliàs etiam illud rectè objicietur: Si actus & potentia sunt relata: relata autē Species Entis, quomodo fiunt Entis affectiones?

Dicimus itaq; cum Versore ex l. 9. quæst. 4. p. 161. & Cornel. Martini ex Comment. Metaph. p. 96. duob. modis *accipi actū & potentiam:* uno modo *pro ipsis intentionibus actus & potentiæ respectivè consideratis, & eo modo relata sunt:* altero modo *pro illo ipso, quod est actus & potentia, & sic non sunt relata, sed ex eorum classe excluduntur, & in omnia genera disperguntur.*

Dicendum proinde ad Objectionem, *actum in eo, quod est actus, non definiri per potentiam: puta, cui attribuitur etiam potentia, id non fieri in quantū est actus generaliter, sed quatenus hic vel ille est actus. Cum n. omnis actus potentiam non habeat, sed aliquis tantum, & ita nonnulli eâ destituantur,* ἄτοπον *& absurdum videbitur omnem actū per potentiam velle definire. Nostra autem definitio fit per privationē potentiæ. At potentia, in quantum est potentia, debet definiri per actū, sine quo q; neq; esse, neq; intelligi potest. Et hoc primū, quod probare intēdit* Aristoteles, *actum priorem esse potentiâ ratione sive definitione.*

Deinde perfectione actum *priorem esse potentiâ, satis manifestè ex ipsis* Aristotelis *verbis patescit: Quæ n. inquit, generatione sunt posteriora, ea Specie & Substātiâ esse priora: sicuti vir puero, & homo spermate sit prior: illud n. jam habet speciem, alterum autem nequaquam. Atqui actus est generatione posterior potentiâ. Ergo est prior perfectione. Legant, qui volunt, ipsum textum* lib. 9. Metaph. c. 8. & Iac. Martini lib. 1. Exercit. Metaphys. Exerc. 3. theorem. 14.

Tertiò bonitate & malitia *actum priorem esse potentiâ, demonstrari potest hac ratione: Quodcunq; simpliciter bonum aut malum est, illud prius est eo bonitate & malitiâ, quod est secundum quid bonum vel malum. Atqui actus in bonis est simpliciter bonus, & in malis simpliciter malus: Potentia verò* κατά τι *vel secundum quid: non enim dicitur bona vel mala, nisi quando ordinatur ad actum bonum vel malum: per se verò est indifferens ad bonum & malum. Ergo etiam prior est bonitate & malitia quàm potentiâ.*

Quartò

Quartò intelligentiâ sive cognitione *prior est actus potentiâ. Nam quod magis habet rationē Entis, id magis cognoscitur. Sed actus magis habet rationem Entis, quàm potentia. Ergo & cognitione prior.* Deinde *illud prius alio dicitur intelligentiâ, circa quod consistit veritas aut falsitas magis, quam circa aliud. Sed veritas & falsitas consistit circa actum, compositionem nempè & divisionem intellectus, quæ sunt actus, & nō potentia. Ergo & actus erit prior intelligentiâ, quā potentia.*

Tandem etiam tempore *actum potentiâ priorem esse affirmamus, modò in diversis rebus actus & potentia conferantur. Nam si in uno & eodem subjecto fiat collatio, quod aliquando est in potentia, quæ actuari debet, omninò potentia est prior actu tempore. Est n. potentia via ad actum, itaq; perficitur actu. Hinc omne quod fit, fit ex aliquo, quod est in potentia. Sic gallina in potentia ovi, prior est tempore, quam actu. Si verò in diversis subjectis fiat collatio, aliter se res habet.*

Quando igitur quæstio est: An actus simpliciter sit prior potētiâ? *non intelligimus in eodem subjecto, id est, non quærimus, an hic actus suâ potentiâ fuerit prior? an hæc gallina prior sit hoc ovo? sed tali nulla consideratione particulari sive Individuali, actum in genere cū potentia simpliciter intellecta comparamus, atq; secundum* Aristotelē *ita concludimus, talem actum potentiâ esse priorem, & talem gallinam tempore priorem esse ovo, in quo datur potentiâ gallina. Esse autem id verum ex principio, quod ex* Aristotelico tex. l. 9. c *8 proferimus, patet perspicuè: Cum n. nihil reducatur ex actu ad potentiam, nisi ab Ente existente in actu. Si aliquod sit Ens existens in potentia, id ab alio Ente actu existente in actum reduci debebit, cum nulla potentia seipsam actuare possit. Tantum etiam de hoc Problemate.*

Problema X. & ultimum.

Quot sint Passiones Entis?

UNo verbo. *Sex vulgo numerari solent transcendentia*: Ens, Vnū, Res, Aliquid, Verum, Bonum. *Ex quib. quinq; Entis passiones (ita n. cū Metaphysicis nominari libet) sive affectiones videtur colligi, propterea, quod tot eius sint attributa, & nō plura vel pauciora.* Ve-

Verùm obstat huic argumento Respōsio, *quæ est per Negationem. Non n. necessariò constituuntur tot affectiones unitæ & universales, quot dantur termini cum Ente convertibiles: Quidam enim sunt tantùm ex diversa Etymologia & impositione vocis: Quidam verò ut hæ tres,* Vnum, Verum, Bonum *significant distinctas passiones. Quia itaq;* Res *& Ens tantum Etymologiâ & vocis impositione distinguuntur (hoc enim ab esse, illud à quidditate reali sumtum est) Ergo* Res *nō constituit peculiarem Entis affectionem.* Idem *statuendum est de* Aliquid, *quod perinde est, ac habens quidditatem aliquam, in qua significatione ei contradictoriè & privativè* Nihil *opponitur. Cum autem* Nihil *sit idem, quod* non-Ens, *vel non habens Entitatem sive quidditatem, quilibet intelligit, in hac significatione* Aliquid *nō affectionem* Entis, *Sed eius Synonymum esse. Legatur* Fons.l.4. Metaph.c.2.q.5.sect.2.

Vnde pro quæstionis huius resolutione cum Suaretz.disp. Metaph. 3.s.2.disp.3 *dicimus, si propriè loqui velimus, & non fingere distinctiones minus necessarias, tria duntaxat esse propria Entis πάθη* Vnū, Verum & Bonum. Rem *n. cum* Ente *coniungendam, &* Aliquid *ad* Vnum *referendum esse, sequentibus manifestum evadet rationibus.*

Affectiones autem Entis proprias tantùm tres esse, probamus 1. ab illorum omnium authoritate, *qui de Metaphysica hac scripserunt materia: omnes n. has tres tantùm enumerarunt, ut manifestum est ex* Thoma 1. part. q.5.11.& 16, *qui licet* in locis allegatis *sex transcendentium sufficientiā declaret, eius q; rationem reddat: tamen in explicationibus particularibus tantùm de illis tribus tractat.* Alteram *probationem sumimus* ex communi concipiendi modo, nec non significatione ac ipsarum vocum interpretatione. *Nam* Vnum *quatenus* Vnum *solùm significat, quod res sit indivisa, unde formaliter Enti negationem addit quo à* Vero *&* Bono *distinguitur. Hæ autem inter se discriminātur:* Verum *dicit adæquationem vel habitudinem ad Intellectum:* Bonum *autem ad Voluntatem seu appetitum, tāquam illi conveniens, sive hoc dicat formaliter sive fundamentaliter. Hæ verò sunt habitudiēs seu rationes valdè diversæ. Quod etiam à con-*

trarijs facilimo negotio declarari potest. Vnitas *n. opponitur multitudini:* Bonitas *malitiæ:* veritas *falsitati, hæc autẽ valdè distincta sunt.*

Rem *præterea cum Ente conjungendam esse, firmis cõstat rationibus.* Rem *enim ipsam Entis essentiam & quidditatem esse & denotare dicunt, unde ita argumentamur ;* Quodcunque *significat essentiam & quidditatem Entis, illud non significat affectionem Entis, sed prædicatum maximè quidditativum Entis. Atqui, juxta* Avicennam, *qui cæteris tribus* Rem & Aliquid *addidit, vel addidisse perhibetur,* Res *significat essentiam sive Quidditatem Entis. Ergo significat prædicatum quidditativum & non affectionem.*

Deinde *juxta communem loquendi usum* Res & Ens *sunt Synonyma.* Tertiò *omnis passio cum illo, cuius est passio, adjectivè conjungi potest & debet, hoc est, denominativè de suo subjecto dici, ut* corpus nigrum, album, &c. *sic* Ens Bonum, Verum, Unum. *Atqui* Res *cum* Ente *adjectivè non conjungitur, sed quidditativè, sive in quid prædicatur, ut* Ens est Res. *Ergo* Entis *affectionem non exprimit, sed potius, uti diximus, prædicatum quidditativum.* Idem *quoq́, de τῷ* Aliquid *statuendum est. Audiens enim vocem* Aliquid, *statim Rem concipit, quæ non sit omninò nihil, sed habeat quandam essentiam. Et hæc προβληματικῶς de præsenti Velitatione, quam & hic,*

Cum sit tempus equûm spumantia solvere colla, *suâ adorno Coronide: Soli autem Deo simplici, in quo nihil in potentia, sed in actu omnia : imò qui solus purus, primus, medius, ultimus actus, referente Sc. Ex. 6. s. 2. sit* laus, *sit* gloria *sẽper.*

Vt uberior disputandi campus pateat, sequentia adnectantur *πύσματα.*

1. An Disputationes probandæ sint, an minus? D.
2. An inutilia illa & noxia animalcula, qualia sunt pediculi, pulices, lumbrici, &c. quæ hodie ex putredine enascuntur, ad primum Creationis Sextiduum sint referenda? A.
3. An in Sole, Stellis, alijsq; lucidis corporibus reipsa sint radij? N.
4. An qui partem umbilico subjectam breviorem habent, quam superiorem ad pectus pertinentem imbecilles sint viribus & brevi vita? A.
5. Cur iracundi ferè qui pusilli?
6. An dentes post editum fœtum primò generentur? D.
7. An tinnitus aurium fiăt propter aliorũ sermones de nobis & judicia? N.
8. An ignorantia excuset delictum? D.
9. An liberi magis parentes diligant, quàm hi liberos? N.
10. An liceat exercere opificia, quibus præparantur instrumenta pro necandis hominibus? A.

FINIS.